

modo, sed quivis se clericaliter regeret secundum exigenciam sui status. Et si quis sanctorum patrum decretis et nostris mandatis in hac parte ausu temerario contravenerit, contra talem juxta canonicas sanctiones severius procedemus.

§ [4]. Item precipimus omnibus et singulis clericis quorum interest, quod ab eis servetur religio in ecclesia nostra Hildensemensi juxta consuetudinem honestam et antiquam.

§ [5]. Item mandamus sub pena excommunicationis canonica monicione premissa, sicut alias in sanctis nostris sinodis precepimus, universis et singulis abbatibus, prepositis, decanis, prioribus, priorissis monasteriorum et ecclesiarum nostrarum civitatis et diocesis, ne de cetero aliqua bona seu redditus aliquos monasteriorum seu ecclesiarum suarum vendant aut obligent, homines seu litones alienent vel manumittant quovis modo absque licencia nostra speciali. Et si qui contra hujusmodi inhibitionem et mandatum nostrum bona vel redditus suorum monasteriorum vel ecclesiarum alienent seu obligent, hujusmodi contractus decernimus irritos et inanes.

§ [6]. Insuper ad refrenandum temerariam et presumptuosam quorundam maliciam, que crebro occurrit, vobis et cuilibet vestrum in virtute sancte obediencie injungimus, quatinus mandata apostolica, ad quorum executionem requisiti fueritis, debite exequamini, visis tamen litteris originalibus. Que quidem littere si propter viarum discrimina aut alia pericula vobis exhiberi non poterunt, saltem transumptum ipsarum sub scriptura autentica^{a)}, si de jurisdictione hesitatum fuerit, exhibeatur.

§ [7]. Insuper querele et clamores multiplices aures nostras dudum propulsarunt et propulsant, quod jurati aut aldermanni ecclesiarum parrochialium pecunias, quas ex fidelium largicione percipiunt pro reparacione

^{a)} pag. 99.